



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola VII. Ioannis Papae VIII. Ad Bosonem Comitem. Dolet quod sibi
deprecanti auxilium contra Saracenos non tulerit Significat Vrbem magno
in discrimine versari, cum ad eam oppugnandam fama sit ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

legatio, ecce secundo naufragium passa est, citissimum consilium, confortante nos Domino, præparemus.

EPISTOLA VII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD BOSONEM COMITEM.

Dolet quod sibi deprecanti auxilium contra Saracenos non tulerit. Significat Vrbem magno in discrimine versari, cum ad eam oppugnandam fama sit magnum exercitum venturum: quare eum rogat, ut quantocius opem ferat. Legatos ab eo detineri miratur.

Ioannes episcopus Ioanni Bosoni comiti.

SÆPE gloriam tuam missis & literis hortari ac deprecari studuimus, vt manum auxilii porrigens, contra nefandos Saracenos hostiliter occurrere tandem satageret: sed, proh dolor, nil haçtenus præsidii adipisci meruimus, adeo ut nec responsum, sicut nec de aliis quibusque necessitatibus, a nobilitate tua recipere hucusque noscamur. Quapropter nimis dolentes, gementesque, iterum iterumque dilectionem tuam monemus, hortamur, & obsecramus, ne differas vltra, nec patiaris populum Domini ab illis diuinitus fulminandis Agarenis discerpi, qui operuerunt vniuersam superficiem terræ, sicut locustæ, ita ut pene cunctis habitatoribus inde sublatis, & in prædam & gladium traditis, redacta sit in solitudinem, & in cubilia bestiarum, & (quod est adhuc amplius formidandum, atque caendum) certa relatione didicerimus, stolum amplissimum in primo ad expugnandam Vrbem venturum, id est centum naues, ex quibus cum equis sunt quindecim grandes. Quod quam ingens malum & incomparabile sit, si intente consideraueritis, aduertetis: perditio enim istius urbis totius est mundi dispendium: imo & ipsius Christianæ religionis iactura. Et ideo (secundum quod & spiritualis filius noster semper Augustus necessario tuae commisit industriae) omnium ceterarum rerum curis omisis, hoc vos conuenit toto considerare mentis intuitu, & ad auxilium nostrum non modicum exercitum quantocius destinare. Si enim vestrum diuinitus roboratum nobis non porrigitis validum & amplum confestim auxilium; scitote nihil

amplius remanere , nisi ut nobis a vobis desperatis dimis-
sis , vobis etiam ab hac sancta ecclesia nulla spes ultra re-
maneat. Porro si in praesenti necessitate nobis aptum &
sufficiens præbueritis auxilium , & nihil differentes , popu-
lo Dei , beato Petro speciali prerogativa commisso , sub-
uenire studueritis ; scitote in omni opportunitate vestra
tanto nos fore promptiores , quanto fuerimus redditi ab
hoste securiores. Ceterum dilectionem tuam miramur
legatos nostros retinuisse , Leonem episcopum carissimum
nepotem nostrum apocrisiarium & missum apostolicæ
sedis , atque Petrum æque episcopum , qui cum festi-
nantes vos ad diuinitus protectum Augustum mitteren-
tur , a vobis & tunc detenti sunt , & modo nihilo minus
non merito retinentur. Quod quia contra decus aposto-
licæ sedis , quod nunquam factum est , profecto non di-
mittemus , cum hinc certi fuerimus , inultum. Cum enim
nos illos pro multiplicibus ecclesiæ nostræ necessitatibus
sub nimia festinatione miserimus ; a vobis , quem hoc non
latet , non impediri , sed ad id celerius agendum vestris ,
sicut credidimus , potius debuere fulciri subsidiis. Data
ut supra.

E P I S T O L A VIII.

I O A N N I S P A P A E VIII.

A D C A R O L V M C A L V V M I M P E R A T O R E M .

Imperatoris precibus , cum Burdigalensis prouincia a pa-
ganis esset deuastata , Frotarium Burdigensem archi-
episcopum transfert in ecclesiam Bituricensem.

Joannes episcopus Carolo imperatori.

P ETITIONEM vestram , filiorum carissime , quam non
abnegando sed dispensando dudum distulimus , nunc
nos ad votum nostrum ob id vel maxime , Christo præ-
duce , perduxisse gaudemus : quod & vestram gloriam
perseuerantem testificatricem cognouimus , & prouin-
cialium præfulum consentaneas probationes probauim-
us , & legatorum nostrorum subtilissimas disquisitio-
nes aduertimus. Quocirca , licet nos multis canonicis
testimonii prouocati petitionem vestræ deuotionis im-
plere magnopere moliremur , & solius maiestatis vestræ

Concil. Tom. 24.

B ij